



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Edmundus Mart. 20. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

.Nov.
erpen-
o refi-
nilia-
eside-

20. Nov. VITÆ S A N C T O R V M . 567
retis ? Ex Menais & Menolog.

Homo redi ad Deum sic amatus à Deo , & ad illius gloriam da totum te , qui se totum propter te ad suam deduxit injuriam : & voca patrem fidens , quem tanto amore tuum probas , sentis , intelligis esse genitorem .
S.Pet.Chrys.serm.70.

S. EDMUNDUS M A R T . 20. Novembris.

A lter EDMUNDVS rex est ; altera Angliæ gloria. Hic anno DCCC.LXX. cùm Jugar Daniæ rex, vastitate Angliæ ingenti illatâ , misisset, qui regias gazas veluti suæ jam victoriæ præmia , nî totas mallet amittere, dividere secum juberet, fortiter respondit. Nulla se latronibus stipendia numerare solitum: liberum se & regem meminisse , neq; aliter, cùm vires starent, partitum divitias suas , quām ferro fuisse. Nunc post lacerum regni corpus quid capiti parceret? plebeio sanguine huc usque ebrium rectius regium hausturum. Tum denique se extincto totam hereditatem adiret. Inter spolia Numinis iram etiam , & vindictam reperturum. His in majores jam iras versus Jugar captum non regiis catenis oneravit ; flagris deinde servilem in modum acceptum , scopum esse militum sagittis jussit ; demum caput auferri, aliter à cælo jam coronandum. Porrò hoc feris in pabulum inter dumeta abjectum præclarus jam denique custos lupus tutatus est , & cùm caput suâ voce se quærentibus prodidisset, etiam funus mæsto ululatu prosecutus scribitur. Tyranno in lupum abeunte, lupum in hominem reddisse dixisses. Sed & caput corpori suo redditum integrumque à tabo longè post repertum ajunt; quin barbæ capitisque pilos succrescentes quotannis detonsos esse . Et dubitabimus porrò virtutem

Sicut Christi milites, deposito corporis animaque
torpore, virtutum procedamus ad campum: deditus
corpori annum, denus anima dies: impendimus nobis
tempora, tempus deputemus auctori. vivamus Deo
paululū, qui seculo viximus totum. S.Pet.Chrys.s.12.

PRÆSENTATIO B. MARIAE V.
21. Novembris.

Hesus! ad spectaculum hodiernum omnes vos
in orbe parentes voco, liberos omnes. Ne
dubitare oculos adferre, cum, ut hos pascant, ef-
fundere se cælo, & convolare Superos videam,
videam arridere, acclamare audiām. Ecce TRI-
MYLA VIRGVNCVLA, Judææ delicium, patris &
matris amor, spes familiæ unica, unica fessæ æta-
tis virga, hæc inquam talis ac tanta, è parentum
sinu & brachiis non ad Veneris alicujus gynæ-
cum, non ad nuptias, quas cunis promittere
amant patres; sed ad castissima vota, ad templi
adyta deproperat, evolatque ad aram, ipsa mox
templum, ipsa Numinis ara futura. Assentiuntur
interea Joachimus & Anna, & filiæ sibiique plau-
dunt. Quid hîc nostra ætas? Nimirum pereat
flos virgineus, ne stirps avita: intereat pudor, ne
familia. Lacrimentur Angeli, modò nepotes ri-
deant. Sit vacuum incolis cælum, modò domus
non heredibus. Si quid pulchrum in liberis, si
quid ingenuum & liberale, aulæ hoc debetur
genio, mundi servitio mancipatur & carnis am-
plexibus. At si quid monstri nascitur, illud de-
mum, ajunt, in claustra Religiosa (desertas insulas
cogita) exportetur. Si quid bardum, blæsum, lu-
scum, claudum, hoc hoc cellâ occultetur, silentio
monastico